



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Orationes Ante Et Post Missam Dicendæ

[S.l.], 1649

Alia Oratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55282)

ante Missam.

3
centi: miserere roganti; & da
mihi spiritum contribulatum,
(quem tibi gratum sacrificium
reuelasti) vt eo purificatus non
solum Sacramentum, sed
etiam Virtutem suscipere me-
rear Sacramenti: quod omnia
peccata mea deleat, & ea de-
inceps vitandi tutelam secu-
rissimam præster; mihi quo-
que & omnibus fidelibus, vi-
uis, & defunctis, pro quibus
illud offerre aggredior, in re-
missionem peccaminum, &
Vitam proficiat sempiternam,
Amen.

Alia Oratio.

O Dulcissime atque aman-
tissime Domine IESU
Christe, quem nunc deuorè

A 2 de-

desidero suscipere, tu scis infirmitatem & necessitatē meam quam patior, in quantis malis, & vitijs jaceo: quā sæpè sum grauatus, tentatus turbatus, & inquinatus. Pro remedio ad te venio, pro consolatione, & subleuamine te deprecor: Ad omnia scientem loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea, & qui solus potes me perfectè consolari, & adiuuare. Tu scis, quibus bonis indigeo præ omnibus, & quam pauper sum in virtutibus. Ecce sto ante te gratiam postulans, & misericordiam. Respice esurientem mendicum tuum: accende frigiditatem igne amoris tui, illumina cæcitatem meam
cha-

charitate præsentia tua: verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia graua & contraria in patientiam. Eri-ge cor meum ad te in Cælum: & ne dimittas me vagari super terram. Tu solus mihi ex hoc dulcescas vsque in sæculum, quia, tu solus cibus es, & potus meus, amor meus, & gaudium meum, & dulcedo mea. Veinã me totaliter ex tua præsentia accendas, & comburas; & in te transmutes, vt vnus tecum efficiar spiritus per gratiam internæ vnionis, & liquefactionis, ardentis amoris. Ne patiaris me ieiunum, & aridũ à te recedere, sed operare mecum misericorditer, sicut sæpius operatus es cum sanctis

tuis mirabiliter. Quid mirum
 si totus ex te igniscerem, & in
 meipso deficerem, cum tu sis
 ignis semper ardens, & nun-
 quam deficiens; amor corda
 purificans, & intellectum il-
 luminans. Amen.

*Forma intentionis ad Missam
 celebrandam.*

AD laudem & gloriam san-
 ctissimæ Trinitatis, in me-
 moriam benedicti Salvatoris
 nostri IESU Christi, Vitæ, Pas-
 sionis, Mortis, & Resurrectio-
 nis, ac in operum ac meritorū
 suorum, omniumque Sancto-
 rum vnionem; Ad laudem
 quoque & exultationem Bea-
 tissimæ semper Virginis eius
 Ma-